

fecto Baptismi in novo Testamento conditio minimè erit deterior.

57. Hac stante necessitate, consequens est promissionem illam fœderis: Ero Deus tuus, & seminis tui post te, quantumvis etiam latam: semper tamen Sacramenta ipsa, tanquàm pacta fœderalia includere: ita ut quemadmodum in vetere quidem Testamento amplissimâ promissione hac fœderis gaudere non potuerunt, nisi qui ipsum fœderis signum, Circumcisionem nimirum accepissent: Sic in Novo, Regenerationis, Adoptionis ac salutis beneficio minimè fruantur, nisi qui Novi quoque fœderis signo fuerint initiati.

58. Quemadmodum hoc ipse Servator confirmat inquit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Mar. 16,  
16.

59. Excipitur tamen hic necessitatis casus: quando nimirum vel mater infantem mortuum edit: vel alio quopiam inevitabili necessitatis casu præventus, in vivis prius infans esse desinit, quàm lavacri istius compos evaserit.

60. Hic enim valet illa Ecclesiæ regula: Nō privatio, sed contemptus Baptismi est damna- bilis: Et Regeneratio, quæ est altera quasi nativitas, carnalem illam & primam nativita- tem semper præsupponit: Qui ergo vivi lucem hanc nunquam aspexerunt, utique pro transgres- soribus mandati divini haberi nec possunt, nec debent. Quò